



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis

**Asseburg, Wilhelm Anton von der
Paderbornae, 1764**

XIV. S. Valentini M. Dupl.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62764)

ne quis alterum ad pocula, & ebrietatem invitaret. Triennio ante mortem, opum suarum duas tertias Ecclesiis in Imperio suo, Metropolitanis, aliisque assignavit. Diem denique extremum, multis prodigiis præsignatum obiit vigesimo octavo Januarii annos natus duos & septuaginta, anno post Christum natum octingentesimo decimo quarto, atque in Basilicâ Dei Genitricis Virginis Mariæ à se quàm magnificentissimè extructâ Aquisgrani conditus fuit. *R.* Iste homo &c.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium: Sint lumbi vestri præcincti. de communi.

9na Lect. & com. S. Agnetis 2dò in Laud. & Missa: Os Justi. de com. Conf.

Die XIV. Februarii.

S. VALENTINI MARTYRIS,

Duplex Dioces.

Omnia de communi unius martyris præter sequentia. *Ora-*

Oratio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus: ut qui beati Valentini Martyris tui natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus, ejus intercessionem liberemur. Per Dominum nostrum.

Lectioes 1. Nocturni de Scripturâ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Valentinus Presbyter sapientiæ eximia, Claudio imperatore in Christianos sæviente, Christianæ religionis accusatus, ejus jussu in vincula coniectus est. Biduo post ab Imperatore interrogatus, cùm idolorum vanitatem gravissimis verbis confutaret, ipsumque Claudium ad poenitentiam crudelitatis & Christi fidem hortaretur; Calphurnio præfecto traditur. Qui Valentinum ad Asterium transmittit; mandans, ut hominem, quâ possit ratione, ad deo-

deorum cultum adducat. A quo cum audisset Asterius Christum esse verum lumen, & illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum: periculum ejus rei se facturum dixit in filiâ, quæ ante biennium oculorum lumen amiserat.

R. Honestum fecit illum, &c.

Lectio V.

Valentinus factâ oratione, manû- que super oculos puellæ adhibita, ei in momento visum restituit. Quo miraculo factum est, ut ipse quoque Asterius cum conjugè & universâ familiâ post triduanum jejunium à Valentino baptizaretur. Qui omnes, re ad Imperatorem delatâ, comprehensi, atque ad ostia Tiberina ducti, pro Christi nomine interfecti sunt. Valentinus autem post longum carcerem fustibus caesus, capite plectitur viâ Flaminiâ juxta pontem Milvium. Ejus cor-

P. Hicm,

B

pus

pus Sabellina quædam pia matrona eodem in loco sepelivit. Ubi postea sanctus Theodorus Papa Ecclesiam Martyris nomine ædificavit, multisque locupletavit donis.

R. Desiderium animæ ejus, &c.
Sermo S. Augustini Episcopi. *Serm. 44. de sanctis.*
Lectio VI.

Triumphalis Beati Martyris Valentini dies hodiè nobis anniversariâ celebritate recurrit: cujus glorificationi sicut congaudet Ecclesia, sic ejus proponit sequenda vestigia. Si enim compatimur, & conglorificabimur. In cujus glorioso agone duo nobis præcipuè consideranda sunt: indurata videlicet tortoris sævitia, & Martyris invicta patientia: sævitia tortoris, ut eam detestemur; patientia Martyris, ut eam imitemur. Audi Psalmistam adversus malitiam increpantem: Noli æmulari in malignantibus, quoniam

niam

niam tanquam foenum velociter a-
rescent. Quod autem adversus ma-
lignantes patientia exhibenda sit, au-
di Apostolum suadentem: Patientia
vobis necessaria est, ut reportetis re-
promissiones.

Rz. Stola jucunditatis, &c.

IN III NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum, c. 10.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit JESUS disci-
pulis suis: Nolite arbitrari, quia
pacem venerim mittere in terram:
non veni pacem mittere, sed gla-
dium. Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. in Matth. c. 10.

Suprà dixerat, quod dico vobis in
tenebris, dicite in lumine; &
quod in aure auditis, prædicate su-
per tecta. Nunc infert, quid post
prædicationem sequatur. Ad fidem
Christi totus orbis contra se divisus
est: unaquæque domus & infideles

B 2.

&

& credentes habuit, & propterea
 bellum missum est bonum, ut rum-
 peretur pax mala. Tale quid & in
 Genesi adversus rebelles homines,
 qui moti fuerant de Oriente, & tur-
 rem extruere festinabant, per quam
 cæli alta penetrarent, fecisse scribi-
 tur Deus, ut divideret linguas eo-
 rum.

Rz. Corona aurea &c.

Lectio VIII.

Veni enim separare hominem ad-
 versus patrem suum. Hic lo-
 cus prope iisdem verbis in Michæa
 Prophetâ scribitur. Et notandum,
 ubicumque de veteri Testamento
 testimonium ponitur, utrum sensus
 tantum, an sermo consentiat. Qui
 amat patrem aut matrem plus q̄ iam
 me, non est me dignus. Qui antè
 præmiserat, Non veni pacem mit-
 tere, sed gladium, & dividere ho-
 mines adversus patrem & matrem,
norum

nurum & socrum; ne quis pietatem religioni anteferret, subjecit dicens: Qui amat patrem aut matrem plus quam me. Et in Cantico legimus canticorum: Ordinavit in me charitatem. Hic ordo in omni affectu necessarius est: ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios.

R. Hic est verè Martyr, &c.

Lectio IX.

Ordo pulcherrimus: ad prædicationem mittit, docet pericula non timenda, affectum subjecit religioni. Aurum supra tulerat, æs de zonâ excusserat. Dura Evangelistarum conditio. Unde ergo sumptus, unde victûs necessaria? Austeritatem mandatorum spe temperat promissorum. Qui recipit, inquit, vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit, ut in suscipiendis Apostolis unusquisque credentium Christum se suscepisse arbitretur.

Te Deum Laudamus.

B 3

OF-